



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Vita Venerabilis Yolanda Priorissae Ad Mariae Vallem in
Ducatu Lucilburgensi**

Wiltheim, Alexandre

Antuerpiae, 1674

Ad Reverendam Admodum Et Illustrissimam Dominam D. Mariam
Maximilianam ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-11873

AD REVERENDAM ADMODUM
ET ILLUSTRISSIMAM DOMINAM
D. M A R I A M
M A X I M I L I A N A M
P R I O R I S S A M
N O B I L I S S I M I C O E N O B I I
M A R I Æ V A L L I S
O R D I N I S D. D O M I N I C I
Natam Comitissam Fuggeram,
E T P R Ä N O B I L E M D O M I N A M
M A R I A M C H R I S T I N A M
D' A L L A M O N T
S U B P R I O R I S S A M,
*Reliquasq; Eiusdem Nobilissimi Cænobij
Dominas Virgines.*

ALLOCUTIO AUCTORIS.

Mirabimini fortasse, Dominæ,
quod Latinè vos alloquor.
Id facio non ignoratione
linguae

Allocutio

linguæ vobis notæ , sed quod Allocutionis meæ testem esse cupio , Orbem Universum. De rebus enim Yolandæ vestræ ad vos scribo, quam vos non modo generis claritudine, sed etiam vitæ instituto morumque integritate estis assecutæ , & eodem, quo ipsa , loco , vitam per omne virtutum genus agentes , eius vestigia non tam pedibus , quam morum similitudine teritis, spretis mundi delicijs & nobilitatis gentilitiæ splendore contempto , Deo vos famulas dedicasti , Yolandæ vestræ imitatrices ; & tu in primis , Domina Maximiliana. Illa à Comitibus orta, Regium sanguinem non unâ generatione suo commiscuit: Tu in Illustrissimâ Fuggerorum gente nata , plurimas Germaniæ Principum familias consanguinitate complexa es; & quod huic

Auctoris.

huic argumento proprium est , per
Comites Nassovios à Viennensibus
variâ propagine descendis ; ut tantò
etiam maior atque arctior tibi sit
cum Yolandâ generis coniunctio.
Verum quoniam præstat , nobiliter
vivere , quam nasci : tu ad exem-
plum eiusdem tuæ Yolandæ , spretâ
illâ sublimium stemmatum & ima-
ginum pompâ , intra modicos cœ-
nobij recessus , Christi ancilla esse
maluisti , quam in palatio Domina;
atque ut ab Yolandæ vestigijs ne la-
tum quidem unguem discederes , fe-
cisti id à pueritiâ , atque in eodem ,
quo ipsa , sacro D. Dominici Ordi-
ne. Loci tantùm intererat , ut iam
nihilo invicem distaretis. Ergò pro-
vidus rerum gubernator Deus ita
omnia admoderatus est , ut è Bojis ad
MARIÆ Vallem mitterêre , mori-

Allocutio

bus ibi atque disciplinâ in pristinâ dignitate retinendis, eo successu, ut modestiâ, pietate, & prudentiâ tuâ singulari, promerita sis, in regendâ familiâ ipsissimo Yolandæ magistratu perfungi. Ad extremum, sicut Yolandæ mater, filiæ secuta exemplum, ad MARIÆ Vallem Sanctimonialis facta est: ita tua quoque Illusterrissima mater, Maria Eleonora Hoënzollerana, velo D. Dominici Ordinis sumpto, in eo piissimè diem clausit extremum. Hæc cuncta cum ego universo orbi terrarum cognita atque perspecta esse cuperem, utique linguâ orbis terrarum, hoc est Latinâ, hanc allocutionem facere me oportuit. Quæ me etiam ratio multò magis impulit, ut res Yolandæ in eundem sermonem conferrem potius, quam in nostro, hoc est Germanico

Auctoris.

manico, quo scriptæ sunt, relinquē-
rem. Nec dubito, quin sitis proba-
turæ hoc meum consilium. Nisi for-
tasse satius esse ducitis, easdem Yo-
landæ res tradi unius Germaniæ no-
titiæ, quam omnibus Europæ Po-
pulis, imò remotissimis Asiæ, Afri-
cæ, atque Americæ habitatoribus in-
notescere: quod nunc fieri posse, ne-
mini dubium est, postquam lingua
Latina per barbaros illos populos,
alibi velut sparsa in Colonias nova-
rias dies accipit incrementa, alibi et-
iam civitate donata viget. Et erunt
fortasse aliqui in illis gentibus, maxi-
mè in Europâ, qui suæ cuique na-
tioni, si ita videbitur, res Yolandæ
linguâ patriâ describent, vel in to-
tum ex me haustas, vel cum aucta-
rio suo. Hâc ergò eis relictâ curâ,
Yolandam vobis, Dominæ, sisto, cum

Allocutio Auctoris.

votis, ut vestra MARIÆ Vallis à tentibus primùm exorta initijs, pro-
vecta deinde per Yolandam ad vir-
tutum omnium splendorem, per
Vos deinceps & cum Vobis in eâ pul-
cherrimâ luce sine fine crescat.

FACULTAS

Superiorum Societatis.

Ego infrascriptus Societatis IESU in Gallo-Bel-
gica Provincialis, iuxta Privilegium eidem
Societati concessum, quo Typographis om-
nibus prohibetur, ne libros ab eiusdem Societatis
hominibus compositos absque Superiorum permis-
sione imprimant, potestate ad hoc mihi facta à P.
N. Generali, Ioanne Paulo Oliva, Facultatem con-
cedo MARCELLO PARYS Typographo Antverpiensi,
ut librum, cui titulus est *Vita Venerabilis Yolanda, Prio-*
rissa Mariae Vallis in Ducatu Lucilburgenſi, cum appendice de
Margarita Henrici VII. Imperatoris Sorore eiusdem loci Prio-
rissa, & Genealogia veterum Comitum Viennensium in Ar-
duenna, compositum à P. Alexandro Wiltheimio
Societatis IESU, ad sex annos proximos imprime-
re & liberè distrahere possit. Datum Luxemburgi
18. Junij 1674.

Io. BLAUWARTS.

AD